

89.

Vir inclyte!

Literas Tuas 21. Februarii accepi ante triduum.

Orchis Tua forte est Orchis militaris varietas. Vidi in Gallia plures varietates hujus speciei ad Fontinblou. Habentur Orchides in *Vaill. paris. tab. 31. f. 27. 28.* et in *Se-guier veron. t. 15. f. 11.* quae forte eadem.

Theobroma fastuosa etiam apud me floruit et fructum protulit. Figura est inter omnes praestantissima . vocitetur, nisi velis Panbromam, quod durius sonat, Abroma, et ego assumam quodcumque placeat.

Hoc anno Bibliothecarius non assumit ullum tomum novum, cum libri multi sunt adornati pro insequente anno.

Tuus

Linné.

Dabam d. 25. Martii 1776.

90.

Vir celeberrime!

6. *Mesembryanthemum copticum* bene, si habeas semina quaeso communices.

16. Habui hanc in horto, sed non potui hanc separare aliter quam brevitate pilorum seminis, qui pili vix habent $\frac{1}{3}$ longitudinem seminum.

2. *Campanulam grandifloram* numquam vidi . pulcherrima est species, utinam me beares hujus seminibus, quod anxie peto, supplicor.

14. *Hibiscus phoeniceus* non vidi, nisi sit virginicus aut pentacarpus.

308. *Salix* nunc video minime esse S. arbusculam, sed quaenam non dixerō.